Cracoviensis Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Ordinis Philosophor.
1697 24 Octobris.

Lopuszynski Joannis Alberti: Pallas Stagyritica virentibus laureatae sapientiae corymbis in V. V. D. D. primae laureae Candidatis coronata.

PALLAS STAGYRITICA,

Virentibus Laureatæ Sapiētiæ Corymbis,
IN V. VV. DD. PRIMÆ LAUREÆ CANDIDATIS,

CORONATA,

ac dum ijdem, per
Clarissimum, & Excellentissimum Dominum,

D. M: THOMAM SOWINSKI,

Philosophiæ Doctorem & Professorem,
Collegam Minorem,
in Augusto Divi Iagelonis Archilyceo,
Præsente Nobilissimâ Magnorum Hospitum, &
Senatûs Academici Coronâ,
Ritu Solenni,
Artium, & Philosophiæ Baccalaurei,
RENUNTIARENTUR;
A
JOANNE ALBERTO LOPUSZYNSKI,
Eiusdem Laureæ Candidato,
in vim fraterni erga Concandidatos affectûs,
Panegyrico applausu

CELEBRATA.

Anno,
QVo AVgVstVs ReX, LeChIaDVM VngebatVr In Orbe. 1697
Die 24. Octobris.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

IN GENTILITIVM INSIGNE, Illuſtriſsimi & Reverendiſsimi Domini.



Hoſtibus inviſum Signum, ſolenne Triumphis
CRUX, pretium mundi, Chriſtiadûmq; decus.
Hac dum reſplendet, velut inter, luna, minora
Aſtra Poli; Vivat POTOCIANA DOMUS.

ILLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. THEODORO

IN POTOK ET CZORTKOW

POTOCKI,

NOMINATO EPISCOPO CULMENSI & POMESANIÆ, CANONICO CATHEDRALI CRACOVIENSI, PRÆPOSITO PRÆMYSLIENSI, SCHOLASTICO SANDOMIRIENSI &c. &c.

Domino, Mecænati Colendissimo.

NVnquam rectiori tramite, cum Stagyritica nostra Pallade, ad capessenda Laureæ cucurrissemus Trophæa; nisi sub Gentilitia Tua CRVCE metam, & terminum invenissemus. Illustrissime & Reverendissime Domine. *Quippe cùm Natalis* Celsissimæ Domûs Tuæ *Splendor, &* Avitum Decus, *non aliter, ac si salutare quoddam terris desuper immissum Sidus, in omnium pridem affulserit animis; vniuersam boni publici provinciam, aureo amplissimorum meritorum illustrans radio; ad quod publica Patriæ desideria, ac priuata populi vota, eodem nutu traherentur; optatæ felicitatis acceptura splendorem: cumq; inter dubios casus, rerumq; euentus, congestis vndiq; in commune nefas periculis, toties Patria, sub Triumphali hoc* Trophæo, *tutelam, & præsidium inuenerit: etiam Novellæ Literarum Laureatæ, ad hoc commune Regni Sarmatici confugiunt Azylum; quod hodie integer Orbis Christianus, Maiestate firmata* SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS AVGVSTI II. *Poloniarum* REGIS, *ad claritudinem Gentis Polonæ confirmat & approbat. Nec aliter cernere velim, quàm Superum beneficio,* Gentilitium hoc Insigne, *in munimen Antemurali Christianitatis Regno huic prouisum, quod aduersæ Gentes fugerent; Patria longo sæculorum tractu spectaret; continuo Ducalis Clauæ ordine & militari Imperio, Senatorijs Curulibus, Principum Mitris, alijsq; supremis honorum subsellijs circumdatum: ut quod per alias Clarissimas Familias sparsum, hoc in* POTOCIANA DOMO *collectum venerari, sit necesse. Longauâ Maiorum tacitâ serie; si vel Parentis Tui* Illustrissimi olim PAVLI POTOCKI, *Castellani Camenecensis, fortissimi Patriæ, Divûmq; Defensoris, Cyneæ Sarmatici; ac* Illustrissimorum & Excellentissimorum Dominorũ Patruorum Tuorum,

AND.

ANDREÆ POTOCKI, *Castellani olim Cracoviensis, Exercituum Regni Campiducis, vivi, etiam post fata, Heroum, Senatorum, Ducumq; Prototypi;* & FELICIS POTOCKI *hodierni Palatini Cracouiensis, Exercituum Regni Campiductoris, pro bono publico ardentissimi Zelatoris, Alcidæ Poloni, intaminatam erga Reges, Patriamq; fidem, & amplissima Domi, Forisq; merita, in Tui Nominis gloriam habere velis; assurget eodem momento Orbis maximorum Trophæorum, & augusti Sanguinis præsenti recordatione beatus; vt vniuersam Gentis Polonæ propaginem, ad* POTOCIANÆ CRVCIS *arma, simulq; perpetuò virentes Victoriarum, ac Triumphorum Laurus, liceat intueri. Millenis alijs omissis* POTOCIANIS *Heroibus, & augustis Nominibus, nec inter angustias chartæ constringere valeo* Illustrissimos & Magnificos Dominos Fratres Tuos *Castellanos Camenenses, Succamerarios Halicienses, Capitaneos Czercauienses, aliosve militaribus Præfecturis insignes, Sarmaticos Scipiones, gloriosè sub* Gentilitio Trophæo *militantes Heroas. ad Te ipsum sermonem flecto* Illustrissime & Reverendissime Domine, *cuius paludamentum honoris, noua ambiunt Cathedra, & Subsellia; cuius merita in aprico posita, intuentur singuli; Patria, & Ecclesia læta, novum præsidium veneratur. Et quis Tuam ignotam Orbi existimaret virtutem? qui Cleri Numen, Ecclesiarum Decus, pretiosus Coronæ Vaueliana Vnio, Orthodoxæ Fidei Propugnator, immortalium rectefactorũ Pollux, aureum eruditionis, & sapientiæ, per exteras Nationes, Domiq; per Aulas Regum, diffusum jubar refulges. Quid memorem palmare gloriæ Tuæ vel ex inde decus? quod ad honorarium Reip: positus Officium, omni seposito otio commodis Patriæ allaborâsti: sanè nouus Atlas portatores humeros, labenti Sarmatiæ Cœlo supposuisti; ne assiduis malorum æstuans fulminibus, succumberet. Igitur cùm Stagyritica Pallas Maximo Tuo Nomini, nostros coronatos virentibus Laureis inclinat vertices; eam, nosq; cultores eius protege, & foue; quem felicem & longæuum, Episcopali illico ornandum Tiara, per mundi Triones publica resonet fama: ac tandem Tuæ natalium virtutum, & meritorum amplitudini, post Præsuleos honores, trabeata Purpura succedat. Ita vouet & precatur.*

ILLUSTRISSIMÆ & REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

Humillimus Cliens

JOANNES ALBERTUS Łopuszynski, Primæ Laureæ Candidatus.

D. JOANNI CANTIO, CONFESSORI,

Orbis Poloni, & Almæ Universitatis Cracoviensis TVTELARI.

Corona Muralis Aurea,

quæ olim dabatur ab Imperatoribus illi, qui primus Murum conscendisset; & hostem ab Vrbe repulisset.

CUM LEMMATE:

Dive Victor jo Triumphe!

QVicunq; dexter Martis acinace,
Et bellicoso (totus ahæneus)
Thorace, fregisset tumorem;
Atq; minas ferientis hostis;
Primusq; Muros concutientium
Salvâsset Heros; obsidioneq;
Eliberâsset; & quietem
Qui placidam tribuisset Vrbi:
Inexplicatis ille favoribus,
Cedroq; dignis Regis amoribus,
Evectus in cellos honores,
Munera sumpsit ab hoc, Coronam.
Patrone Gentis maxime Lechicæ,
Divine CANTI, gemma, nitor, jubar
Nostri Lycei, Literarum
Grande decus, Columen, basisq;
Corona (supplex quam Tibi dedico)
Muralis hæc est aurea, belliger
Heros Tonantis, quam merebas
Ingenij probitate certans.

A Defen-

Defensor Orbis Sarmatici, aureo
Nitore fulges mentis eburneæ:
Virtute sublimi coruscus,
Maxime Victor jo triumphas.
Athleta fortis sic diademate
Amictus, esto terribile hostibus
Scutum feris, Tutela, Nostri
Præsidium, & Moderator Orbis.
Quando feroces barbaries vomet
Furoris ignes; atq; Polonicum
Evertere attentabit Orbem;
In furiasq; ciebit Orcum;
Quando doloso pectore Tartari,
Exulcerato dirè animo furent;
Stygem vocabunt, & Megæras;
Sarmatiæq; necem parabunt;
Tunc Dive Muris prospice Patriæ;
Tunc tela telis contere fortibus;
Suppone iam pressæ lacertos;
Barbaricas remove cohortes.
Martis minaces comprime comprime
Iras: Triumphos Lechicus occinat
Orbis: Coronatus serenos
Annumeret sine nube soles.
Quem gloriosis fama iugalibus
Vehat per Orbem, per mare, per solum,
Sub astra Cæli; quo remota
Cymmerios vehit Vrsa Currus.
Et dissidentûm pectora Civium,
Sacratiori necte suaviter
Enthusiasmo; necte voto
Vnanimi; cohibe ruinas.
Adfer serenum lætitiæ mane:
Vmbras dolorum discute discute.
Ab hostibus Nostras virentes
Dive (peto) tueare laurus.

Cla-

Clarissimis, Excellentissimis, & Admodùm Rndis Dominis,

DD. EXAMINATORIBVS,

Clarissimo, & Excellentissimo Domino,

D. M. ALBERTO IOSEPHO DZIELSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Minori, Ordinario Pòëseos Professori, ac interim Philosophicæ Facultatis DECANO.

Clarissimo, Excellentissimo, & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. GABRIELI PROFECKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Maiori, Regio, & Cursûs Vladislaviani Professori, Præposito Rymanoviensi, Curato Michaloviensi.

Clarissimo, & Excellentissimo Domino,

D. M. THOMÆ SOWINSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Minori, in argumentum debitæ venerationis, & gratitudinis, Coronæ Triumphales, quæ olim ob honorem Triumphi mittebantur Imperatoribus.

CUM EPIGRAPHE:

Hæ, sunt Vestri signa Trophæi.

GRande Victorum decus, & Corona,
Ac parens vitæ, pretiumq; mentis,
Sola subridens gelidum superstes
Fama sepulchrum;

 Iam

Iam satis terris, satis es retenta
Turribus mundi, Capitolijsq;:
Casares, Reges, satis inter ipsa
Astra locâsti.
Brachijs surgens tumidis superba
Vrbs Quirinalis, retulit Virorum
Gesta: sed cesses resonare Nomen
Fama celebre.
Advoles huc huc properante pennâ;
Quæ celer doctis comitata Musis,
Visites felix supereminentis
Culmina Pindi.
Debitas omni meliore cultu,
Dexterâ ponas niveâ coruscas,
Ingenî nostri Ducibus Coronas,
Tempora circum.
Barbiton Phœbus moveat canorum:
Gestiat Pallas; resonetq; plausus:
Ac Camænarum saliat triumphans
Turba Nouena.
Quem suum nuper NOVODVORSCIANÆ
Cynthium, pronæ coluêre Musæ,
Te canant DZIELSKI, *decus ô Sophorum!*
Atq; Corona.
Tu coronâsti Lechicas Camænas;
Melleum nectar Studij Iuventæ
Nobili fundens, roseamq; suadam
Ore diserto.
Plurimi Chiron celebrant Achilles
Te; stupet doctus Iagelonis Orbis;
Cum Sophus nexus varios, secundâ
Arte resoluis.
Gesta Magnorum celebras Virorum;
Et canis laudes: toties Locisq;
Publicis clarus remanes, Sophorum
Dogmata pandens.

Can-

Candidæ mentis, sapientiæq;
Fons inexhaustus, Cathedræq; magnum
Lumen existis; recreasq; cunctos,
Rite docendo.
Hinc Decanali meritò coruscus
Purpurâ fulges: serie laborum
Iam triumphatâ (mea Musa poscit)
Io triumphe!
Et Tuum pectus nitidis decorum
Artibus, magnæ radios PROFECKI
Mentis emittens, operosa semper
Barbita poscit.
Poscit & laudes, celebresq; plausus:
Quem super docti vehit Orbis axem
Fama victorem; resonatq; læto
Carmine Nomen.
Scilicet Stoæ decus æviternum
Permanes: nodos resecas Sophorum
Gordios, artem solidam ministrans,
Victor vbiq;.
In sacris aurum, teretesq; gemmas
Ore diffundis Cathedris; peroras
Quando pro Divis Lechicus Pericles,
Tullius atq;.
Omnibus gratus superis, & imis
Es; Tuæ mentis probitas relucet
Pulchriùs; gratas loqueris Camænas
Pectore suavi.
Desinit plausus Tibi Musa lætos:
Ast adhuc Cursus geminat Trophæa
Gloriæ Vladislauianus: ergo
Io perennes!
Et Tuas laudes celebrare gestit,
Docte SOWINSKI mea Musa: Turbæ
Qui Camænarum roseos lepores
Spargere nôsti.

Porticus docta, sapientiaeq;
Aula Te Diui Iagelonis olim
Arte nutriuit: Tua magna, nunc jam
Computat acta.
Quem seu doctum Peripatus ambit;
Sêu vocant Musae; Ciceronis atq;
Suada. respondes satis eminenter
Pectore docto.
Aureum sidus, jubar eruditi
Orbis, excelsum Columenq; Templi,
Qui regit Fasces Iagelonis; atq;
Sceptra coronat.
Gloriam, famam decorat perennè;
Ac Tuum Nomen Patruus colendus:
Vocibus cuius celebranda centum
Maxima virtus.
Ergo dum tantis radijs refulges
Nominis Magni; probitate mentis
Clarus, & multis studijs decorus,
Viue secundus.
Viue quin nostri pretium laboris
Ternio pulcher, decus, atq; gemma:
Laureatorum capitum perennis
Viue Corona.
Duc triumphales sine nube soles:
Quem remotas per vehet Orbis Oras,
Nomen & doctum celebrabit ipsa
Fama superstes.
Concinent Musae Tibi vota grata:
Laureae Nostrae virides, Trophaei
Sint Tui fausti, celebrisq; signa
Laeta Triumphi.

PAL-

PALLAS
STAGYRITICA,
Virentibus Laureatæ Sapientiæ Corymbis,
in v. VV. DD. primæ Laureæ CANDIDATIS,
CORONATA.
I. V. D. VALERIANO WĘCHALSKI.
Corona Castrensis, quam olim donabat Imperator illi, qui primus hostium castra introiuisset.

CUM LEMMATE:

Te ambit ista Corona.

REgnorum pretium paucis reperibile gazis,
Summus honos, & dos pulcherrima, læta Corona,
Victorum frontes ornans, & tempora cingens,
His venit ex facili campo; frontemq; revincit;
Quos labor assiduus, duri casusq; probârunt;
Et quos adversæ jactârunt nomina sortis.
Herculeo hæc, ausus per fortes, quæritur æstu;
Necnon per longos tractus, studiumq; paratur.
Hæc Tibi pro meritis debetur jure WĘCHALSKI;
Quem natura potens, virtusq; simillima Divis,
Dotibus eximijs animi, mentisq; beavit:
Cûi Tu sollicitas curas impendis; & inde
Magnum munus habes, quando præcellis in omni
Cultu doctrinæ, morum præstante decore:
Tullius eloquio felix celebraris acuto:
Docta Sophi genio felici dogmata pandis:
Ac alias pulchra serie complecteris artes.
His venit almus honos ex Aulis nomine magnis
DENHOEF, MECINII, quêis Tu documenta dedisti
Spectatæ vitæ: dignum Sapientia fecit,
Et virtus quêis Te: morum comitasq; probavit.
Ergo Laurigeros meritus dum sumis honores

Ecce Tibi Pallas Castrensem nectit amicam,
Ex viridi Lauru capias quam fronte Coronam.
Quâ cinctus celsum conscendas culmen honoris:
Altiùs ex voto magnæ virtutis iturus.

III. V. D. MICHAELI STAPORKIEWICZ.

Corona Obsidionalis, quam Obsidione liberati dabant Liberatori suo.

CUM EPIGRAPHE:

Tuum hæc Nomen adornat.

DUm perspicaci cernere palpebrâ,
Intendo prisci munera temporis;
Quæ Liberatori vetustas
Contulit, obsidione adempta:
Erant, perennis laudis adorea,
Hac; gloriosi Symbola Nominis;
Dantur Tibi quæ; cùm Coronam
Pro meritis capias virentem.
Hucusq; strictis obsidionibus,
Detenta mansit Pieridum Cohors;
Apollo, Pallas, eruditi;
Laude pares fuerant ligati;
Nunc obligati; quos ubi cerneres
STAPORKIEWICZ; *mox in Tua singuli*
Sunt vota liberi: lubenti
Hanc animo Tibi dant Coronam.
Sit nempe fas est ingenium Tuum,
Sat eruditâ dote reconditum,
Hoc esse præcinctum decore:
Iste decet Tua facta splendor.
Hoc liberantis conuenit en Tibi
Nomen; quod inter limina Palladis
Doctas resoluis quæstiones;
Eloquio Cathedras decoras.

Sacra-

Sacratior Te Pieridum Cohors
Exambit; in Te pulchriùs eminet
Virtus: perennis viue quare,
Laurigero decorate serto.

IV. V.D. STANISLAO RUDNICKI.

Corona Civica, quæ dabatur illi, qui Ciuem à morte liberâsset.

CUM LEMMATE:

Merces virtute paratur.

HEros magnanimo robore præditus,
Olim Municipem mortis ab horridæ,
Qui fato eriperet; falcis acumen &
Eius frangeret impetum.
Pulchro pro meritis cinctus erat suis
Serto; quod fuerat maxima nominis,
Et famæ celebris portio, tempore
Omni pulchriùs emicans.
RVDNICKI, Tibi ego pectore candido,
Istam Municipum consecro Lauream;
Quam sudor meruit Palladius; tulit
Virtus ingenij Tui.
Deberes celeri tendere in æthera
Pennâ; sidereis in regionibus
(Divûm summus ubi Iuppiter eminet)
Sedem figere gloriæ.
Qui sêu Rhetoricis fontibus innates;
Sêu solvas solido pectore dogmata;
Stoæ es delicium: suada disertior,
Dotes condecorat Tuas.
Famæ Laurigeras nectit adoreas
Phæbus pro meritis: mentis eburneæ
Resplendet probitas: explicat aureum
Docti vis genij decus.
Ergo dum nitidam vertice Lauream
Gestas; Nobilibus Palladis artibus
Clarus vive diu: præmia det Deus,
Cæli sidera qui regit.

V. V.D. MARTINO GRUCKI.

Corona Ovalis, quâ vtebantur Imperatores, dum ouantes Vrbem ingressi fuissent.

CUM EPIGRAPHE:

Sic Victrix Sapientia ovat.

CLio gesta canens, celebres memoransq́ꝫ triumphos,
Secula cuncta quibus condecorata manent:
Huc celeri passu properes; ornesq́ꝫ Coronas;
Cinxêre Herôes tempora læta queis.
Quin & Palladijs in Castris arte parata,
Condecores læto Carmine facta virum.
Pulchriùs effulgent sublimi in vertice, doctum
Ornant quæ pulchrè Laurea serta caput.
Hinc quoq́ꝫ pæanas, plausus, dulcesq́ꝫ Triumphos
Lætitiæ, docti promeruêre viri.
Te loquor ô GRUCKI! qui dignus Miles Ouali
Es serto, in Studijs læta Trophæa canens.
Scilicet ipsa Tibi palmam dat Turba Sophorum,
Præcingit Lauro docta Minerua caput.
Dotibus ingenij fulges; decorasq́ꝫ Cathedras:
Eloquij & Stoæ pulchra Corona manes.
Pieridum numero Vatum Te Spiritus ambit:
Demulces suaui pectora voce Virûm.
Non minor inde Tibi consurgit portio laudis;
Flectere quod multos in Tua vota scias.
Omnibus es charus, Diuis quoq́ꝫ mens Tua grata:
Virtutiq́ꝫ Tuæ sidera celsa fauent.
Omine felici, claudis fortissimus agmen
Heros: pro meritis, Laurea serta capis.
Hinc dum Laurigeris Sertis es Nostra Coronis;
Ex astris detur digna Corona Tibi.

II. V. D. IOANNI ALBERTO ŁOPVSZYNSKI.

Primæ Laureæ CANDIDATO,
Authori Operis.
in Symbolum mutui affectûs, & gratulatorij applausûs,

V. D. MICHAEL STAPORKIEWICZ.

Eiusdem Laureæ Candidatus, Offert, dicat, Consecrat,

Coronam Naualem, quam antiquitùs merebatur ille, qui primus Maritimo prælio hostium Nauem, vi armatus, transiliisset.

CUM LEMMATE:

Posthac Victoria maior.

REgna Neptuni, Tethyosq; sedes
Viserat quisquis; stupefacta monstra
Æquoris, quisquis generosus Heros
Vicerat olim:
Impias sævi manibus phalanges
Hostis, & diras rabie furentes,
In mari quisquis domuit catervas,
Marte secundo,
Ille Navalem meruit Coronam:
Militis dextri pretium perenne;
Nobilis famæ decus æviternum;
Parq; Triumphis.
Scilicet, celsi veneranda fama
Nominis Princeps, vehit ad Triones
Orbis excelsos; memorando digna
Facta Virorum.
Quid loquar de Te celebrande Vates?
Miles, in Campo, generose, doctæ
Palladis, nostros celebrans labores
Carmine læto.

Tu co-

Tu coronâsti, nimiùm decorè,
Vertices Fratrum viridante serto:
O! ŁOPVSZYNSKI! Tua penna nobis
Gratior exstat.
Mille debentur Tibi jam Coronæ;
Quæ Tuum cingant caput eruditum:
Plausibus festis, celebriq; voto,
Dignus haberis.
Te canent Musæ modulante buxo:
Et Tuas laudes, super astra docta
Efferet Pallas: celebrabit ipse
Doctus Apollo:
Cuius à lingua resonat perennis
Laus Camænarum: Peripatus, atq;
Svada facundi Ciceronis in Te,
Rite triumphant.
Ergo iam victor celebris perennes:
Nominis docti decus æviternum
Vivito nostras celebrans Coronas
Optime Vates.

Sub Felicissimis Auspicijs
Magnifici, Perillustris, & Admodùm Reverendi Domini,
D.M. CHRISTOPHORI FRANCISCI
S O W I N S K I.
S. Theologiæ Doctoris & Professoris, Collegæ Maioris, Ecclesiarum Collegiatar: SS. Omnium Crac: Præpositi, ad S. FLORIANUM Florentiæ Decani, Cancellarij Posnan: Custod: Pilecensis, Curati Prosovicens: Contubernij Philos: Provisoris, Studij Almæ Universitatis Crac: General: & Vigil:
RECTORIS.